Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et medici pene eodem modo sonant, ut exigua differentia distinguantur, non errore sed potius occasione, quomodo isto loco accipiendi essent gygantes significare uoluerunt. Si enim superbos gygantum nomine insinuatos intelligamus, de quibus dicit apostolus: ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius seculi, nonne fuit incongruum eosdem medicos nuncupari, uelut per artem sapientie sue promittentes animarum salutem? Contra quos dictum est: Domini est salus. Si autem in bonum accepimus gygantes, quia et de ipso domino dictum est: exultauit sicut gygas ad currendam uiam, quod ita sit gygas gygantum, magnorum scilicet et fortissimorum, qui in eius nomine ecclesia spiritali robore excellunt, sicuti est mons montium, quia de illo scriptum est: erit in nouissimis temporibus manifestus mons domini paratus in cacumine montium, sicut et sanctus sanctorum, non est absurdum ut idem ipsi magni et fortes et medici uocentur. Unde dicit apostolus Paulus: si quomodo emulari prouocem carnem meam, ut saluos faciam aliquos ex illis. Sed et tales medici quamuis non de suo curent, quia nec medici corporis curant de suo, tamen quantumlibet per fidele ministerium opitulentur saluti, uiuentes curare possunt, non mortuos excitare. De quibus dictum est: Numquid mortuis facies mirabilia? Huius enim occulta dei gratia est, qua hominum mentes quodammodo reuiuiscunt, ut possint a quibuslibet eius ministris precepta sanitatis audire. Quam gratiam commendat in euangelio dicens: Nemo potest uenire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum. Et paruo post apertius hoc ipsum repetens ait: Verba que ego locutus sum uobis spiritus et uita sunt, sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Deinde interponit euangelista: Sciebat enim ab initio Ihesus qui essent credituri, et quis traditurus eum esset. Et secutus atque ipsius domini uerba coniungens ait: Et dicebat: Propterea dixi uobis quia nemo potest uenire ad me nisi fuerit ei datum a patre meo. Supra dixerat: Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt, et tamquam huius rei causam exponens: propterea inquit dixi uobis quia nemo potest ue-

nire ad me nisi fuerit ei datum a patre meo, ut ostenderet et ipsam fidem qua credit et ex morte sui cordis anima reuiuiscit dari nobis a deo. Quantumlibet ergo et ipsa excellentia uerbi predicatores et ueritatis et per miracula sua fortes tamquam magni medici agant cum hominibus, si mortui sunt et tua gratia non reuixerunt, numquid mortuis facies mirabilia, aut medici exsuscitabunt, et hi quos exsuscitabunt confitebuntur tibi? Hec enim confessio indicat uiuos, non sicut alibi scriptum est: a mortuo uelut qui non sit perit confessio. Numquid enarrabit quis in sepulchro misericordiam tuam et ueritatem tuam in perditione? Subauditur quod supradictum est, ut iste uersus ita se habeat — ac si dictum sit: Numquid enarrabit quis ueritatem tuam in perditione? Misericordiam quippe et ueritatem amat scriptura coniungere maxime in bono. Quod uero ait in perditione, alio uerbo repetiuit — quod supra dixerat in sepulchro. Sic autem — dictum est in — an · in — sepulchro, ut intelligantur hi qui sunt in sepulchro, qui et superius significati sunt nomine mortuorum, ubi ait: Numquid mortuis facies mirabilia? Anime namque mortue corpus sepulchrum est. Unde dominus in euangelio dicit: Similes estis sepulchris dealbatis, que foris apparent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et uos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et iustitia tua in terra oblita? Quod est in tenebris, hoc est in terra oblita. Infideles enim significantur nomine mortuorum. Hinc dicit apostolus: Fuistis enim aliquando tenebre. Sic et terra oblita homo est qui oblitus est deum. Potest namque anima infidelis usque ad tantas tenebras peruenire, ut dicat stultus in corde suo: non est deus. Totus ergo iste sensus ita continuatur atque contexitur: Clamaui ad te domine inter passiones meas; tota die expandi ad te manus meas, id est non destiti ad te glorificandum exten-